





15

Disputatio XII.  
EX SEPTIMO  
ARTICULO AVGVSTA-  
NÆ CONFESSIÖNIS.

*Ad cuius subiectas Theses,*

**DEI CLEMENTER A D-**  
*IVVANTE GRATIA.*

PRAESIDE

**ÆGIDIO HVNNIO, SS. THEOL.**  
Doctore & Professore in Academia VViteber-  
gensi, die 15. Decembris in Templo  
Arcis, horis pomeridianis  
respondebit

**M. ANDREAS SCHAFMANNVS**  
Tremoniensis.



**VVITEBERGAE,**  
**Excudebat Vidua Matthæi**  
**VVelaci. Anno 1593.**

IX  
EXCEPTE

-ATUALIA AUGUSTA

AN CONFESSORIS

ACADEMIAE ET PRAESES

DEI CLEMENTER AD

ICANUS CANTAB.

EDWARDUS

EGIDIO JANNOSS THEO

Dogole & Bolognese in Academias AVITPEZ

Bonum die 12 Decembris in Templo

Aulae portis portuariis

lubouopepit

MARIA S CATHARINA

1700



EXCEPTE VIVIS MUSCULIS  
AUGUSTI ANNO 1703

# Disputatio XII.

## DE ECCLESIA, EX SEPTIMO ARTICVLLO AVGVSTANAE CONFESSIONIS

### Propositio I.

**E**ccl<sup>esi</sup>a, de qua nunc differendum nobis est, nonnunquam estimatur ex signis visibili- bus, cultu Dei, predicatione externa Verbi, Sacramentorum ritibus in nostros oculos se- se ingerentibus, atq; hinc visibilis appella- tur.

2. Nonnunquam autem pressiore consideratur modo, quo Deus & Pastor animarum Iesus Christus eam aspicit, fidem ipsam cordis perspectam habens, atq; sic oves suas à priori noscens, ut Salvator afferit Ioan. 10.
3. Priore modo visibilis est nobis Ecclesia. & definitur congregatio vocatorum, amplectentium verbum Dei, & u-  
tentium sacramentis.
4. Posteriore modo invisibilis ea nobis est, soli Deo nota, & definitur catus credentium, seu prædestinatorum ad vi-  
tam eternam.
5. Porro decernit Augustana confessio, unam duntaxat esse Catholicam Ecclesiam, ut & articulus Symboli Apostoli- ci habet.
6. Sicut enim est pastor unus, sic & gressus unus Ezech. 34. Ioan. 10. sic una ex Iudeis & gentibus collecta Ecclesia, post- quam Christus diruto materie interstitio, fecit ex utrisque unum, ut Apostolus Ephes. 2. scribit.
7. Quanquam enim multæ dicuntur esse particulares Ec-  
clesiae,

A 2

clesiae, locis, regionibus, provincijs, quæ in & regnis orbis Christiani distinctæ (Act. 14. 15. 16. Rom. 16. 1. Cor. 7. & 16. Apocal. 1. 2. 3. & alibi frequentissime) tamen una tantum est Catholica Ecclesia, particulares illas omnes, cœn filias suo ambitu complexas, nimirum ob hoc ipsum dicta catholica, quia particularium Ecclesiarum mater, tum quia Christiana, quia non heretica, quia Catholicae doctrine prophetarum & Apostolorum custos, quia deniq; nulli populo, genti aut loco peculiariter alligata.

8. Videndum autem, quibus in rebus posita sit illa Ecclesiæ unitas, qua de loquitur Augustana confessio.

9. Et primò quidem, ad constituendam eam unitatem, communio capitis requiritur, quod est Christus Jesus Eph. 1. & 5.

10. Unitas quoq; Spiritus, per quem in societatem corporis mystici sub uno capite Iesu Christo copulamur.

11. Requiritur & consensus in doctrina, se; fidei unitas, qua sumus unum in Christo, unum in veritate Ioan. 17. eadem mente eademq; sententia, 1. Cor. 1.

12. Requiritur & charitatis nexus, haec namq; vinculum est perfectionis, Coloss. 1. Christianos simul omnes in unum perfectum corpus devinciens, ut tanquam unius eiusdemq; corporis membra in mutuam sui conservationem & adificationem pulcherrimè conspirent.

13. Hæc omnia complexus est Apostolus, cùm Ecclesiæ unitatem & sanctorum communionem illam describens ait: Sustente servare unitatem Spiritus, per vinculum pacis. Vnum corpus, unus Spiritus, quemadmodum & vocati estis in una spe vocationis vestrae. Vnus Dominus, & una fides, unum baptisma, & unus Deus & pater omnium.

14. Quod autem dicitur in Augustana confessione, ad unitatem Ecclesiæ satis esse, consentire de doctrina Evangelij & administratione Sacramentorum: non id communioni

Spiritus.

*Quibus in rebus posita sit  
Ecclesiæ unitas 1.*

*2.*

*3.*

*4.*

Spiritus & corporis. Mystici opponitur, sed huic potius includitur.

15. Opponitur autem similitudine unitati, quam Pontificij urgent, & in congruentia ceremoniarum sitam esse augurantur.

16. Sane quod ad Sacra menta attinet, sunt ea ritus & ceremoniae, ad substantiam Christianismi requisita.

17. In reliquis autem ceremonijs, quae praecepta verbo Dei non sunt, sed prædicationi Evangelij & administrationi sacramentorum subserviunt, dicimus genus quidem esse necessarium, nempe ordinem, ut omnia fiant εὐχαριστίας ταῦτα τὰ ἔτη, eò, quod Deus non sit author confusionis, sed ordinis: Interim quod in specie attinet hos vel illos ritus, sicut eorum congruens unitatem Ecclesia non efficit, sic diversitas eam non turbat aut difficit.

18. Quare, quod Ecclesia primitiva Iudaica sub primis initijs Christianismi omnia communia habuit, quod adhuc observavit ceremonias Mosaicas, diversum vero dehinc in Ecclesiis gentium frequentatum fuit: non inde aliquod enarratum schisma, nec unitas dissoluta Ecclesiae.

19. Ideoq; Victor, Romanus Episcopus, ab Irenæo rectissime reprehensus est, quod damnavit Ecclesias Orientis, quod non eodem, quo Ecclesiae occidentales, die celebrabant festum paschatis.

20. Nemo enim nos iudicare debet in cibo aut potu, aut in parte die festi, aut novilunij aut Sabbatorum. Coloss. 2

21. Estq; hæc præsumptio in rebus differentibus præscribendi leges Ecclesie Dei, nihil aliud, quam mera Tyrannis, convellens articulum doctrinae Evangelicae, qui est de libertate Christiana.

22. Ex qua etiam tyrannide profecta est doctrina Desmoniorum sub regno Antichristi Romani, nempe prohibitio

Sanctitas Ecclesie

2

illa coniugij & ciborum: quam Antichristi & regni eius signum atque notam minimè fallacem futuram fuisse. Paulus Apostolus ex Spiritu sancto varicinatus est, 1. Timothe. 4.

23. Quanquam ergo nonnullis de causis optandum erat, ut quoad eius fieri posset, in Ecclesiis Augustanae Confessionis exacta ceremoniarum conformitas existaret: tamen hinc necessitatem aliquam fabricare neque licet negi, adeo turum est. Hoc ergo primum esto, quod in huic articuli exegesi in considerationem venit.

24. Secundum est, quod Ecclesiae tribuit Confessio, quod dicitur sancta, id est ex articulo Symboli Apostolici, quo profitemur nos credere sanctam Ecclesiam.

25. Sancta vero est, non quod Ecclesia in hoc seculo nullis amplius obnoxia sit peccatis aut infirmitatibus.

26. Diversum namque docet communis omnium sanctorum querimonia. Iob. 9. & 15. Psal. 19. 32. 38. 130, 143. Proverb. 20. Eccles. 5. Esa. 64. Rom. 7. 1. Iohann. 1. Exempla quoque lapsuum in Aarone, Davide, Petro, & alijs sanctis.

27. Sed nec ideo sancta dicitur, quod nulli amplius existent ad mixtii hypocritae. Contrarium enim docent parabolæ Salvatoris, & exemplum Ecclesiae omnium temporum; quod proxima Disputatione ostendebim plenius executetur.

28. Sed sancta dicitur, primò per imputatam sanctitatem obedientie Christi, qui ut nobis factus est à Deo patre iustitia, sapientia & redemptio, ita & sanctificatio. 1. Corinth. 1. sanctificans nimirum Ecclesiam & mundans lavacro aquæ per verbum Ephes. 5.

29. Deinde sancta nominatur respectu novæ obedientie & inherentis sanctimonie, excitata per spiritum sanctum, cuius virtute atque ductu p̄y sese purificant ab omni iniquitate.

namento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei. 2. Cor. 7.

30. Quae tamen ipsa sanctitas inchoata est & imperfeta in hoc seculo, perficienda quandoque in vita beata.

31. Hoc epipheto, quod Ecclesia dicitur esse sancta, discernitur a reliquis populis infidelibus, qui nec Deum nouerunt, nec nomen eius invocaverunt.

32. Solos enim eos, qui in Ecclesiae cætu versantur, dignatur Spiritus sanctus huiusmodi titulis, appellans eos sanctificatores per Christum Iesum, vocatos sanctos, dilectos Dei, genus electum, gentem sanctam, regale sacerdotium, populum, qui in lucrum accessit Domino. Quos titulos Turcis, hodiernis Iudeis, aut infidelibus gentibus assignare nimis esset absurdum.

33. Denique Ecclesiam perpetuò mansuram ait confessio. Quod calumniae pontificiorum opponitur.

34. Obijciebant enim Papistæ, nisi papatus superiorum perpetuas Ecclesias etatum habeatur pro vera eorum temporum Ecclesia, omnino sequi, nullam uspiam seculis superioribus Ecclesiam extitisse in mundo. Respondet Augustana confessio, perpetuo manere Ecclesiam Dei, ideoque (vult subindicare) ne prioribus quidem seculis intercidisse, sed mansisse omnino, quantumvis sub Tyrannide Romani Antichristi non ita floruerit, sed secundum vaticinia Spiritus sancti in solituinem præfurore bestiae fuerit electa. Apocal. 12.

35. Implebantur tum vaticinia Christi, Prophetarum & Apostolorum: quibus unanimi sententia predixerunt, fore tantam seductionem, ut si fieri possit, in errorem inducerentur etiam electi: surgentibus illis PseudoChristis, & Pseudoprophetis. Matth. 24. sedente in templo Dei filio perditionis, homine peccati, Antichristo. 2. Thess. 2. & mere trice nobili illa, Batileone Mystica (Ecclesia Romana) posuero

culo sue fornicationis corrumpente terram, & inebriante in  
ca gentes & populos. Apocal. 13. 17. & 18.

36. Interim in encidijs tenebris pontificijs nunquam non  
Deus sanctas reliquias secundum electionem gratiae conser-  
vavit, quantumvis illa tam non essent hominum oculis ob-  
vie, quam nec sepiem illa millia, de quibus Eliae responderet  
divinum oraculum. 1. Reg. 19.

37. Semper fuerunt aliqui, qui etiam palam contradic-  
cerent sedi Romanae: ideoq; imperfecti à Romana Babylone  
ebria de sanguine sanctorum, de sanguine martyrum Iesu.  
Apoc. 17.

38. Fuere multi, qui in agone ultimo, omissa operum fi-  
ducia, alijsg, errorum pontificiorum stipulis igni tentationis  
& examinis absuntis, in unicam Dei misericordiam passio-  
ne filij declarataam vera fide recumberent & salvarentur.  
Quod ex hortulo anima demonstrare promptum est.

39. Fuerunt etiam infantes non ultima Ecclesie illorum  
temporum pars, qui per Baptismum inserti Christo ex hac  
vita sunt abrepti, antequam erroribus & Antichristianae  
impietatis seductione corda ipsorum tenella perverterentur.

40. Itaque sub tristissimis ijs temporibus conservata  
nihilominus Ecclesie est, & impleta promissio Christi: super  
hanc Petram adfiscabo Ecclesiam meam & portae inferorum  
non prævalebunt adversus illam. Matth. 16.

41. Que restant questiones in huius articuli explicatio-  
ne ventilande, reservantur in sequentem disputationem, ex  
octavo Articulo Augustane Confessionis proponendam.

### F I N I S.

¶ . uillid donabij nulli arbitrii greci. nrolo mali in am  
zog illi isti signi ai stros. le. dudu. uindaprobabij  
sign. o. uill. e. obitumka suu ut mali. signis  
zog (zansell abilis) xufa mali. ali libra mali  
olai. FINIS. O. uill. dudu.

AB 61 430

ULB Halle

002 694 131

3



SK





15

Disputatio XII.  
EX SEPTIMO  
ARTICULO AVGVSTA-  
NÆ CONFESSIÖNIS.  
*Ad cuius subiectas Theses,*  
**DEI CLEMENTER AD-**  
*IVVANTE GRATIA,*  
PRAESIDE  
**ÆGIDIO HVNNIO, SS. THEOL.**  
Doctore & Professore in Academia VViteber-  
gensi, die 15. Decembris in Templo  
Arcis, horis pomeridianis  
respondebit  
**M. ANDREAS SCHAFMANNVS**  
Tremonienis.



*VVITEBERGAE,*  
**Excudebat Vidua Matthæi**  
VVelaci. Anno 1593.